

**De unguibus humanis : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... /  
auctor Salomo Ephraimsohn.**

**Contributors**

Ephraimsohn, Salomo.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/wymu9fpx>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D E  
**UNGUIBUS HUMANIS.**

---

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA  
F R I D E R I C A G U I L E L M A  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR  
**DIE III. M. APRILIS A. MDCCCXXXIII.**  
H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENSURUS EST  
AUCTOR  
**SALOMO EPHRAIMSOHN**  
POMERANUS.

---

**OPPONENTIBUS:**

**M. DE CELINSKI, MED. ET CHIR. DR.**  
**F. BICKING, MED. ET CHIR. DR.**  
**G. SCHUELER, MED. ET CHIR. DR.**

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.

# СИАНИ СИАНИ

---

**ФИЛАСЕВИЧ**

АДГИНО-ОДИН СИАНИ

СТАТИСТИКА ТЕ ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

СЛЕДЕЮЩИХ МНОГОБОЛЬНЫХ РЕЗУЛЬТАТОВ

СТАТИСТИКА СТАТИСТИКИ

А И Д А Д А Д О А Д И А Д И Ч

СТАТИСТИКА

РЯДОВОЙ СТАТИСТИКИ ТЕ ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

СТАТИСТИКА СТАТИСТИКИ

А И Д А Д А Д О А Д И А Д И Ч

СТАТИСТИКА СТАТИСТИКИ

СТАТИСТИКА

ИНОРАДАНИЕ СТАТИСТИКИ

СТАТИСТИКА

СТАТИСТИКА

СТАТИСТИКА ТЕ ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

СТАТИСТИКА ТЕ ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

СТАТИСТИКА ТЕ ПОСЛЕДОВАТЕЛЬНОСТИ

**P A R E N T I B U S**  
**OPTIMIS DILECTISSIMIS**

FILIUS.

ΑΥΓΙΤΗΣΙΑ Α

ΑΠΟΣΤΟΛΟ ΣΙΩΤΟ

**NEC NON**

VIRIS

PRAENOBISSIMIS ATQUE HUMANISSIMIS

**H. HAMMERFELD,**

**E. L. COHN,**

**H. ARNHEIM,**

MAGNOPERE DE SE MERITIS

PIO GRATIQUE ANIMO

PRAEORATIONIS AUCTORIA MANSIMA

ALLEGORICALIA. II.

UINOD. L. E.

MAGNIM. A. H.

MAGAZINE DE SE MURITIS

D. D. D.

AUCTOR

ogni: pretiorem mollius, siq[ue] sanguini: sed  
ambum leviter: et: non: sanguini: non: exsudat:  
egredi: sed: q[ue]cunque: sanguini: non: exsudat:  
non: exsudat: non: exsudat: non: exsudat:  
et: sanguini: non: exsudat: non: exsudat:  
**I. Descriptio unguium anatomica.**

**U**ngues, quos naturae suae et chemicae et physiologicae causa telae corneae adnumeramus, extremum superiorem locum phalangum digitorum et manus et pedis tenent, ita, ut in pollice et halluce secundae, in ceteris digitis, tertiae phalangi affixi sint. Figura eorum clypeo aut parmae est similis, qua reduae planities et quatuor margines distinguenda sunt. Plana dividi possunt in tres partes, in supremam sive radicem, a plica corii et epidermidis tectam, in medium, quae ita collocata est, ut superiori exteriori planitiei cutis affixa sit, et infimam, apicem, quae cuti non amplius adhaeret et, supra carnem prominens, modo major modo minor invenitur, quemadmodum saepius dissecatur; sibi enim ipsi relicta, longitudinem permagnam accipit simulque crassior et cacuminata fit. Praeterea planum externum arcuata gaudet forma, cujus directio longitudinalis viam rectam, transversalis viam curvatam sequitur, ita ut convexum exsistat. Planum internum est concavum et epidermidi cutique externae digitorum adiacet. Margines laterales sunt magis recti et in fini-

bus marginis superioris paullulum curvantur; margo **externus** est ille, qui a linea Winslowii maxime abest et in manibus ad latus ulnare spectat, margo **internus** ille nominatur, qui proprius eam lineam accedit et in manibus ad latus radiale vergit. Radix a plica cutis involvitur, pars autem unguis inferior a plica relictta, patet. Margo superior, in formam hemisphaericam curvatus, regulari forma non gaudet, quia, papillis exstructus cutaneis, a plica cutis omnino destituitur. Margo inferior nullo loco continetur et liber exstat.

Planitiem externam accuratius intuentes, nos non fugiet, partem inferiorem rubere, superiorem albere, quae lunula, semilunula, ἀνατολή, nominatur, et, a flexura semicirculari originem dicens, retro ad radicem unguis prorogatur. In parte ejus rubra lineas longitudinales directas compressis ordinibus cernimus, quae aequæ ac color albus et ruber ab epidermide corioque suppositis oriuntur.

Quod tandem ad differentiam singulorum unguium attinet, unguis pollicis et hallucis phalange secunda præ ceteris majore exstructus maximus et in latitudinem et in longitudinem est, qua ex causa unguis digiti minimi sive auricularis, quamvis longus, tamen propter ejus suppositam phalangem gracilem angustior est in latitudinem, unguis digiti minimi pedis, rarissime perfecte exultus, albo lunulae colore et lineis longitudinalibns caret. Caeteri unguis digitorum manus diversam formam apud diversos homines præ se ferunt et unguis digitorum pedis, acerbo imperio calceolorum et caligarum pressi, emi-

nentias et impressiones varias, formamque igitur variam gerunt.

Radix cuiusque unguis mollior in duplicaturam cutis, tanquam in sinum, infigitur. Vesalius, Spigelius, Bauhinus et alii, ligamento circa radicem colligatos ungues esse, voluerunt, quin vacillent, quod ligamentum dissectione corporis humani ostendi non potest. Unguis, qui in radice adhuc mollis fuerat, in lunulam et inferiorem partem progressus, sensim sensimque, depositione cutis, crassitatem majorem accipit, ita ut in radice tenuissimus, in apice crassissimus fiat. Epidermis sub ungue continuata mollior existit, quam in partibus ab unguibus destitutis, strato interno unguium contigue cohaeret, qua ex causa planum unguis internum eo mollior fit, quo proprius epidermidem accedit et sententia epidermidem sub ungue jacentem semper in eo esse unguem procreare haud multum a veritate abhorret (1).

Striae, quae, ut vidimus, in planicie exteriore unguium reperiuntur, in epidermide facilime, ut lineae longitudinales et paribus intervallis distantes cerni possunt, quibus striis obducuntur eminentiae parvae corii sub radice unguium jacentes.

Corium, continuatio cutis externae superioris et internae inferioris, papillis pro tactus organo praeditae, plicam, ut ungues in situ dato permaneant, curvatum reddit, eminentiisque parvulis, in villorum aut

(1) Friedr. Hildebrand's Handbuch der Anatomie des Menschen 4. Ausg. besorgt von Ernst Hnr. Weber. 4. Bd. Braunschweig 1830. 1r. Bd. Allg. Anatom. P. 195.

papillarum formam prodeuntibus, gaudet, quae papillae a vasis penitus permanatae, maximam partem unguium nutritioni praesunt. Corium, quod usque ad lunulam albo colore fuerat, repente in linea semicirculari rubescit, unde unguis colorem rubrum accipit; lineaæ longitudinales arcte cohaerentes, quas in unguibus et epidermide videre possumus, in corio quoque reperimus et, copia vasorum praeditæ, interstitia minori copia vasorum repleta habent.

## II. Physiologia unguium.

Veteres putaverunt, ungues nihil aliud esse, quam indurationes extremitatesque nervorum, et per coagulationem substantiae nervosae e nervo eos constitisse voluit Empedocles (1) et Foësius (2) ungues nervorum clausulas summas vocat a natura firmitatis (et soliditatis gratia datos, qui, si deficiant, imbecillitatem summam indicare et Hippocrates (3) cum puer, ait, non vitalis futurus nascatur, caro ipsius unguis supereminet, ungues vero tam in manibus, quam in pedibus, deficiunt. Columbus (4) non solum a cute sed etiam a tendinibus muscularum digitos extendentibus originem unguum derivat. At quamvis ungues densitate, rigiditate et soliditate ab epidermide differant, tamen continuatio cuticulae ha-

(1) Aristotelis libr. de spirit. c. 6.

(2) Foësius in noct. ad libr. de superfet. Hippocrat.

(3) Hippocratis libr. de superfet. II, § 20. seq.

(4) Columbus Admin. anat. Iib. II, cap. 15.

beri possunt, quia cum cute intime cohaerentes, per macerationem secedunt aequae ac epidermis. Quod vero clarius apparet si epidermidem digitorum emortuorum aqua fervida, aut putredine, aut maceratione, a cuti cauta manu secernimus, unguis in plica epidermidis remanebunt. Porro saepius occurunt homines, qui habent unguis tam molles, praesertim in minimo pedis digito, ut epidermidem paullo inspissatam aemulentur (1), et alii quorum cuticula praesertim in partibus volae manus et pedis unguis simillima facta est. Denique, cuticula cum unguebus in statu morboso dejecta et remota, iterum regeneratur et cuticula et unguis corii secretionē (2); nec exempla desunt, ubi, phalange aliqua cum unguis amissa, in extremitate phalangis remanentis digitorum novi unguis nati sint (3).

De structura unguium valde dissentunt Anatomi; alii ob strias et sulcos, quos in superficie cernimus,

(1) Francisc. de Riet. Diss. inaug. de origine tactus Lugd. Bat. 1743. recus. in Halleri disputat. select. vol. IV. §. XV.

(2) Pechlin (Observat. phys. med. p. 315.) pueri mentionem facit, qui auctumno quoque cuticulam cum unguebus amissam iterum atque iterum renovavit.

(3) Tulpius (Observ. med. Amstel. 1672. Lib. IV. c. 56. p. 370.) observavit, tertia phalange perdita, in secunda, qua iterum perdita, in prima phalange unguem formari et similia exempla enarrant Ormancey, (Sur la reproduction d'un ongle à la deuxième phalange du doigt du milieu dans le Journal de Med. Mars 1809. p. 218.) An-siaux (Clinique chirurg. Liège 1816. 8. p. 217.) F. S. Voigt, Blumenbach (Institut. physiolog. §. 592. p. 511. not.), Pechlin, Voigt etc.

eos ex fibris longitudinalibus, quae a radice ad marginem inferiorem vergant, constare, contendunt; alii, ob modum crescendi et oriundi, eos ex foliolis aliud super alio jacentibus et inter se connexis, quorum superius longius et inferius sit brevius, constructos esse, putant, quod mihi verisimilius videtur, quamvis adhuc aliquo modo demonstrari non potuerit; cum enim partem inferiorem apicis removere velimus, ac incisione transversali cultro facta, parteque relictâ avulsa, pars unguis dissecta directionem quidem datam sequitur, sed continuo una vel altera unguis adhaerentis pars laminarum et foliorum formam accipiet; et in morbis aliquibus cutaneis, si unguis quoque a malo corripiantur, eos in singulis laminis et squampulis prolabentes videmus.

Ungues nec sentiunt nec vi vitali gaudent et in radice orti protruduntur et, sensim proiecti et secretione corii partibus similaribus aucti, majorem crassitatem accipiunt. Ita per totam vitam crescunt et pars eorum supra finem digiti progressa, nisi cultro removeatur, longius prominet. Qua re fit, ut alienationes in radice aut continuatione ortae, ut maculae albae, foramina in eos pertusa etc. sensim ad marginem inferiorem promoveantur et excludantur indeque conjunctio laesi in media parte unguis nunquam fit, sed externa pars, crescente altera solito more, abjicitur 1).

Ungues minus exculti et praesertim unguis digiti

(1) Conf. Frid. Pauli de vulneribus sanandis. praemio regis ornata commentatio Gott. 1825. 4. §. 172.

pedis minimi, ubique rubrum colorem, alitudinem lunulae radicisque, lineasque striatas cutis desiderant, quarum munere funguntur papillae irregulares, qua ex causa unguis magis epidermidi induratae similes et ex molli materie conflati videntur. In parvulis foetibus unguis adhuc non adsunt, propterea quod extremitates minus excultae sunt et secundum J. F. Meckel minorem natu (1). Unguium primordia cerni possunt quinto mense conceptionis et teste T. Kerkringio (2) et J. Cuviero (3) jam tertio conceptionis mense in foetu modo formati apparere solent et maturorum unguis foetuum, adhuc utero matris conclusorum, longe absunt a perfectione secundum Meckel quod fortasse ad crassitudinem, extensionem etc. pertinet, sed forma, directione, rubidine et albedine non ab hominum excultorum unguibus abhorrent et saepius in formam semilunarium fragmentorum prolabuntur secundum E. H. Weber (4) usque ad septimum conceptionis mensem, in quo jam omnes exculti sunt, quod testatur de Siebold (5).

Ungues Aethiopum sicuti tota eorum cutis nigrascit (ex fusco nigra), qui color deduci debet a

---

(1) Joh. Fr. Meckel Handbuch der menschl. Anatom., Halle u. Berlin 1815. Th. I. S. 591.

(2) Theodori Kerkringii Osteogen. fetuum c. 19.

(3) J. Cuvier Leçons d'Anatomie comparée, recueillies et publiées, par C. Dumeril 5 voll. Paris an VIII — XIV (1799 — 1805) avec fig. T. 2. p. 616.

(4) Vid. Fr. Hildebrand's Anatomie 1. Bd. p. 195.

(5) Abbildungen aus dem Gesamtgebiete der theoretisch-practischen Geburtshülfe, nebst beschreibender Erklärung derselben. Nach dem Franz. des Maygrier bearb. von E. C. J. v. Siebold, Berlin 1829. gr. 8. S. 51.

cuticula, quae superficiem internam unguium concavam induit et pigmento nigro praedita est (1).

### III. Finis et usus.

1) Ungues tuentur digitorum extremitates mollissimas et organon tactus ita muniunt, ut per facile resistere et apprehendere aliquid possit. In pedibus gressum adjuvant unguis et impediunt, quo minus apices digitorum offendantur, cutis reflectatur vel marginem superscandat, ut experiuntur illi, qui preamordent unguis vel nimis eos resecant, quod maximo est incommodo, praesertim si quid prehendere velint cum manibus, et unguibus pedum carentibus, molestum est incedere et valde dolorificum.

2) Ungues ornamento sunt, nam laesos aut male constructos unguis tegimus.

3) Multas utilitates alias praebent, quas tela cornea in universo nobis exhibit, e. g. sensibilitas deficiens, per difficile penetrantur ab humoribus, aere, calore et electricitate, quam ob rem organo tactus tanquam isolatores existunt.

4) Multae a Veteribus huc adnumeratae indoles (2).

(1) F. A. Bécard. Eléments d'Anatomie générale ou description des tous les genres d'organes qui composent le corps humain à Paris 1825. 8. p. 300.

Conf. Dr. K. A. Rudolphi Grundriss der Physiologie 1. Bd. Berlin 1821. 8, §. 43. Anm. 2. p. 43.

(2) Thomas Bartholinus (Anatome quartum renovata Lugdani 1677. 8, Lib. IV. p. 558.) „Maximam utilita-

5) Intus assumpti tam in pulvere, quam in infusione vomitum ciere dicuntur a Schroedero (1) cui Fr. Hoffmann adstipulatur, atque Beckerus (2) in tantum extollit eorum vim emeticam, ut antimonials eos appellare non haesitet, quod fortasse ab oleo pingui in unguibus contento, dependet, sed nostris temporibus nemo facile eos loco emetici applicare vellet, sed facilius periculum facere potes, si unguis resectos cum Nicetiana misceas et in fumis sugio fumiges. (Plura hac de re vide in Frankenau (3).

Joan. Pincier (4) his versibus unguium utilitatem canit:

Extremi digiti manuumque pedumque teguntur  
Unguis exterius quasi crusta et cortice,

Materies solida est, duroque simillima  
Atque fenestratae pellucida more laternae

---

tem afferunt unguis, ait, ad fricandum, scalpendum et defendendum (immo mulieribus litigiosis!) ad corpus humeribus superfluis et fuliginibus liberandam et indicia vitae et sanitatis. Physiognomicis et Medicis praebenda.“

(1) Schroederi Pharmacop. lib. V. Cl. IV. no. 94.

(2) Beckerus in med. microcosm. Lib. I. Cap. II.

(3) Georg Frid. Franc. de Frankenau Onyxologia curiosa sive de unguibus etc. Jenae 1695. 4.

(4) Joan. Pincier in Otii Marpurg. etc. lib. I. p. 52.

## IV. Characteres chemici.

Putredini valde se opponunt, quamquam minori in gradu quam pili; pinguedinis aut olei haud minimam copiam vinctam continent, quod facilime perspici potest, si unguem corpori vivo detractum, ignis flammae exponas, qui subinde liquefit et comburiatur. Emolliuntur in calore adiuncto ( $+100^{\circ}$  R.) sine ulla decompositio. Destillationi siccae expositi, magnam olei foetidi, paucam ammoniaci carbonici, minimam aquae copiam praebent, et carbo splendore metallico remanet, quo perfecte combusto, in cinere exerto calcariam carbonicam et phosphoricam, natrumque phosphoricum invenies. Aqua, ut tota tela cornea, non solvuntur, sed aliquantulum emolliuntur. Alkohol et Aether eos non mutant, nisi oleum comprehensum solvant et in liquore evaporato acidum oleosum et margaricum invenies. Acidum sulphuricum concentratum nihil ex iis extrahit, quamvis eos emolliat, qua ratione a cuticula se differunt, quae non solum emollitur, sed etiam tandem dissolvitur. Simili modo Acidum nitricum dilutum eos quidem emollit, sed non dissolvit et sibi ipsi et ungui praebet colorem flavum, ut aliis materiebus vegetabilibus et animalibus, sed facilius et majore impressione, quod periculum in viventibus adhuc hominibus perbene institui potest, si unguis acido nitrico attingatur; quo in experimento videre possumus eam partem luteam, colore nunquam mutato, ad marginem inferiorem protrudi et majori aut minori temporis spatio decuti. Acido

nitrico concentrato solvuntur et liquor ad siccitatem evaporatus repente detonat; ab acido acetico concentrato non corripiuntur, nihilo minus a diluto quocum per plures dies in vase bene clauso digesti paullisper solvuntur et, liquore evaporato, massa subflava, pellucida remanebit. Acidum muriaticum concentratum cum iis communicat colorēm violaceū, immo coeruleum, quem acidum nitricum in subluteum et ammoniacum causticum in auranticum colore in mutat. Aqua regis eos statim dissolvit et massa subflava, rigida et dura relinquitur (1): Ammoniacum causticum eos non dissolvit; at perbene alkalia caustica fixa, ut Kali, Natron etc. Si lixivium kalinum concentratum iis immisceatur saponacea, foetore ingratissimo exhalato, substantia oritur, quod kali cornēum (Hornkali) ab aqua solutum, sapore et reactione alkalina gaudet et acido acetico dissolvitur; in aqua solutum et filtratum relinquit in filtro pulvrem colore viridi nigricante (Ferrum sulphuratum?) aëri expositum, mox albescente in. Indole telae corneae cum alkalibus fixis saponem constituere ab albumine inspissato, exsiccato aut coagulato facile distingui potest. Acido quovis saponi immixto, acidum carbonicum et hydrothionicum evolvitur, antequam ipsa sit praecipitatio (2).

~~anno mi. annuncioque audiunimus in arctop. congo~~

~~and had since osiris to return back until after our~~

(1) Jacob Berzelius Lehrbuch der Chemie aus dem Schwedischen übersetzt von F. Wöhler 4, Bds 1. Abth. Dresden 1831.

(2) Berzelius Ueberblick über die Zusammensetzung der thierischen Flüssigkeiten. Nürnberg 1814. p. 10.

Quibus rebus collectis nos non fugere potest, telam corneam albumini quidem similem, sed non aequalē esse et eam propriā animalem iā materiem habere coacti sumus. Partes telam corneam constituentes igitur sunt: Carbogēnium, Hydrogenium, Nitrogenium, Oxygenium et Sulphur (quamquam in minima quantitate). Sed quomodo singula elementa supra nominata inter se componantur, adhuc Chemici non exquisiverunt. Secundum John maxima ex parte unguis ex muco simili induratoque albumine constant (1). Hic mihi locus videtur indolis memoranda, unguis nonnullis oxydis metallicis et aliis sucis tangentibus facilliue colore affici, unde vetustissimus Orientis mos deduci potest, unguis succo Lawsoniae inermis colorare, qui color ita perseverat, ut Rudolphi (2) unguis corporis cujusdam mortui, Aegyptiorum modo conditi, adhuc rubro colore obductos animadvertisit. Sed apud vivos non tam diu colorem retinissent, nisi iterum atque iterum tincti essent, quia partes posteriores semper protruduntur. Quo ex exemplo vetustissima illa opinio, unguis post mortem crescere omnino redarguitur.

#### V. Anatomia comparata.

Ungues, quales in hominibus spectamus, in omnibus animalibus desiderantur et simiae ipsae tantum-

(1) Conf. J. Friedr. John's chemische Tabellen des Thierreichs. Berlin 1814. fol.

(2) Dr. K. A. Rudolphi Grundriss der Physiologie. Th. I. §. 169 Ann. p. 159.

modo in pollice ungue, qui ab humano ungue non multum abhorret, utuntur. Ungues ceterorum digitorum iam acuminantur et unguiculis simillimi redunduntur. In ceteris mammalibus apices digitorum aut omnino, aut maxima ex parte obtenguntur ab ungulis et similem formam in avibus et reptilibus invenimus. Omnia animalia cum ungulis plus minusve excultis exstructa nascuntur. Ad phalangem ultimam muniendam facti, in universum desunt digitis animalium, qui nec ingrediendi uerum comprehendendi caussa adsunt, e. g. in vespertilionibus et alis avium. Ex qua regula excipiuntur Parra Palamedea et pedes nattatorii plurium testudinum et salamandrarum. Ungues avium magis digitum pedis minimum aenulantur; magis exculti et unguiculis carnivororum simillimi in avibus rapacibus, plani in Palmipedibus, cacuminati et valde prominentes in posteriori digito hirundinis Parraeque inveniuntur; unguis est denticulatus in uno aut altero latere digiti medii Caprimulg et Ardeae, unguis est supernumerarius et osseus, cornuque similis, in tarso maximaee partis Gallinacearum, quod calcar nominatur, Pavo bicalcaratus duo calcaria habet; quod calcar, si dissecetur et cristae inseratur, in novo fundo incrementa facit. In Reptilibus ungues nihil memoratu dignum prae se ferunt (1).

(1) Conf. J. Cuvier Leçons d'Anatom. comparée etc.  
T. 2. Art. VII. Leçon XIV. p. 615.

J. F. Meckel System der vergleichenden Anatomie.  
Halle 1821.

## VI. Anatomia pathologica.

Quamquam unguis propria vi vitali carent, tamen in statu morbo mutari possunt vario modo; partim influxibus virium obnoxiarum, quae in substantiam eorum penetrant et morbos indiopathicos provocant, partim morbis et inflammationibus matricis Quam ob rem fieri potest, ut unguis in formam suam mutentur aut naturae suae internae alienationes perpetiantur.

Primum variat in diversis statibus morbosis unguis color. Flavescent in ictero, luridum et coeruleum nigrantem colorem contrahunt in cholera asiatica; venenis sumptis, in stadio febrium frigoris, in cyanosi, chlorosi etc. livescunt, albescunt in seline (1), rubescunt in trichomate, in ecchymomate subungui, in syphilitide etc. etc.

Majus et deforme volumen accipiunt propter munditiem neglectam, deinde in lepra, trichomate, cachexiis, emaciationibus etc. Bartholinus (2) puerum mendicantem, cuius unguis non more consueto longi, crassi et curvati erant, vidit, qui propter pondus delapsi regeneratique, haud dissimiles erant pri-

(1) Justus Chr. Loder (Med. und chirurg. Beobachtungen. Jena 1794) in paralysi brachiorum unguis digitorum pallidos et albos fieri vidit, et, quo magis morbus sublatus erat eo magis rubescere cooperunt, deinde coeruleum colorem naeti sensim naturalem receperunt.

(2) Acta Hafniens. 1671 et 72. Vol. I obs. XVI. p. 43.  
Tab. I. fig. 2.

oribus. Hilling (1) memorat hominis, cuius longi, acuti, cinerei unguis pedis dextri vere, sinistri autumno delapsi sunt. Schelhasen (2) similem hominem vidit. Morgagni (3) mentionem facit anus, cuius unguis hallucis cornu parvi magnitudinem assumserat. Voigtel (4) unguem hallucis pedis dextri duo et semis pollicis longum, tres lineas crassum et in apice curvatum videt; et multa alia exempla ab autoribus, ab Hallero, Bonn, Camper et aliis memorantur.

Delabuntur ex vulneribus acceptis et in diversis aliis morbis, ut in trichomate, lepra, syphilitide, panaritio, herpete etc.

Defectus unguium ut vitium primae formationis rarissime animadvertisit, sed occurrit ut desint, quae re exemplum statuit theatrum anatomicum Berolinense, ubi in portento praeter naturam desiderantur.

Minores fiunt et in squamis delabuntur in panaritio, in exanthematibus variis chronicis, ex cachexia propria, beneficiis metallicis chronicis etc.

Structuram naturalem amittunt et molliores redundunt in panaritio, chlorosi etc. aut duriores et cor-

(1) Misc. Nat. cur. Dec. II. An. I. obs. 160. Tab. VI. fig. 8 — 11.

(2) Eadem An. III. obs. 162. Tab. V. fig. 6.

(3) Epistol. LXVIII. 6. B. 5. p. 190.

(4) F. G. Voigtel, Handbuch der pathol. Anat. ed. von P. F. Meckel. Halle 1804. 1. B. p. 88.

nibus similes fiunt in trichomate, ex mundicie neglecta, in phthisi, lepra (1) etc.

Directionem naturalem mutant in cachexiis, in trichomate etc, praesertim unguis hallucis, nisi saepius dissecetur, instar cochleae curvari et usque ad unum et dimidium pedem adnasci potest (2).

## VII. Morbi unguium.

### A. Morbi unguium idiopathici.

#### 1. Seline.

Seline, Nubeculae, Negrelia, maculae sunt diversae figurae et magnitudinis, albi coloris, lunula tamen albiores. Idiopathice saepissime in adolescentia apparent et secundum Bartholinum (3), a calore vegeto proveniunt, qui delitescentia excrementa ad unguies protrudit et ab aliis separat, huic heterogeneis Plenk (4) cum carie ossium comparat et selinem a carie sicca ortam putat. Deuteropathice originem ducere possunt a pustulis et ulceribus matricis.

(1) Conf. Hensler vom abendländ. Aussatze, Hamb. 1790. p. 157 seq.

(2) Allg. Histor. der Nat. Th. 7. L. II. S. 224, Nr. 1337. Conf. A. W. Otto Handbuch der pathol. Anatomi des Menschen und der Thiere. Breslau 1830.

(3) Bartholini Anatome p. 558,

(4) J. Jac. Plenk. De morbis cutaneis. In's Deutsche übers. von Fr. Aug. v. Wasserberg. 2. Aufl. Wien 1789. p. 179.

Quaecunque tamen est caussa proxima seline  
idiopathicae, ad sanandum nos aliquid instituamus  
non opus est, partim macula alba post duas hebdo-  
mades ad tres menses usque in apicem protruditur  
suaque sponte removetur, partim majoris sunt nume-  
ri, quam ut ab omnibus unguibus amoveri possint.  
Si haud absistere quaquam a macula delinenda velis,  
cultrum aut testam vitream arripias et maculam, quae  
aut superficiem externam aut medianam unguis partem  
tenet, radendo removeas, et impedes, quo minus se-  
line regeneretur, si quotidie manus in solutione alu-  
minis in aqua fontana laves (1).

Sed aliter res se habet, si seline a pustula aut  
alia matricis desorganisatione originem duxerit. Hic  
enim puri, ne totus unguis separetur et delabatur,  
effugium, unde evadere possit, dare debebis: et omni  
jure unguem tam diu scalpes, quam ad matricem per-  
veneris et pus, saniem etc. evacuaveris. (Conf.  
Tineam).

## 2) Maculae coeruleae sive Ecchymoma unguis.

Sunt minores vel mayores maculae coeruleae aut  
lividae sub unguibus, quae aut partem unguis aut  
totum occupant et secundum caussas malum provo-  
cantes dividi possunt:

a) in ecchymoma violentum. Quassatione

(1) Conf. Gottlieb Hoffmann. Die Kunst aus dem  
Gesichte Krankheiten zu erkennen. Frankfurt u. Leipzig  
1791. p. 96.

aut impressione subita in unguis effecta, ecchymoma eodem modo sub ungue, quo sub cuticula sit. Sanguis extravasatus inter corium et cuticulam sittus, per unguem translucet. Saepius hoc ecchymoma assulis, acubus, hamulis etc. fit, qui ab apice inter unguem et cutem penetraverunt, quo in casu circa assulam aut acum etc. immissam, ecchymoma circumscriptum est, nec valde propagatur.

Therapia variat secundum causas; vehementissimae quassationi aut ictui, statim in auxilium vocati medemur fomentationibus frigidis e. g. aqua saturnina, pluribus salibus in aqua solutis etc. Secundum B. Merjilink (1) est optimum frigus efficiens remedium praeter glaciem ipsam ammoniacum nitricum, natrum carbonicum et aqua frigida ana, quibus, ad solvendum vasi impositis, digitus immersi potest. Si copia sanguinis extravasati major sit, quam ut facile resorberi possit, puncturam, superficie unguis radenda tenuiore facta in loco extravasationis per unguem instituas. Sed caveto, ne matricem punctura laedas; evacuatio sanguinis idcirco necessaria est, quoniam sanguis saepius, praesertim dyscrasia praedominante, in suppurationem transit, aut copia sua dissolutionem unguis a matrice secum fert, qua ex causa unguis delabi potest. Illa unguis pars a matrice dissoluta proxime, ubi unguis cum cute cohaeret, resecanda cultro aut forfice et plumaceolo, unguento simplice, rosato, saturnino etc. obliito, te-

(1) Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde 28s. Heft. August 1830.

genda est. G. Hoffmann (1) mixturam sequentem maxime laudat.

b). Terebinthinae Venetae unciam dimidiam.  
Vitellum Ovi unum.  
Olei hyperici drachmas duas.  
M. bene, D. S. in carpam oblinas.

Primo autem stadio praeterlapso adhibendae sunt, sanguine extravasato emisso, fomentationes aromati-  
cae, e speciebus aromaticis, vino, aceto etc. aut em-  
plastra e galbano crocato etc. Sed in plurimis casi-  
bus, si quassatio majoris fuerat momenti, felici eventu  
non delectabimur, sed unguis post longius aut bre-  
vius temporis spatium decidet (conf. Iapsum un-  
guis).

b) Ungues coerulei a frigore aëris. Fri-  
gus, quod superficiem corporis primo momento irri-  
tat et vasa ad majorem reactionem impellit, conge-  
stionem sanguinis ad cutem, ruborem, inflammatio-  
nem, erythemaque efficit. Si appulsus frigoris per-  
durat, frigusque diutius ardet, vasa, a spasmo correpta,  
clauduntur, sanguis refrigescit et ad vasa majora re-  
pellitur. Extremitates corporis non bene obiectae  
et p̄ae frigore munitae pallidae et rigidae fiunt.  
In his adhuc mitioribus gradibus unguis quoque fri-  
gore afficiuntur, eorumque prior rubor in coeruleum  
colorem mutatur. Diagnosis hujus status non diffi-  
cilis est et facilior cura, sed caveto, ne cum digitis  
frigidis manus aut pedis ad fornacem calidam acce-

(1) Gottl. Hoffmann p. 95.

das, nam vasa, frigore debiliora facta, subitaneo impulsu sanguinis celerius quam justo dilatantur, dirumpuntur et pernioneum mox auferres. Sensim igitur digitos calefacias, quod facillime terendo et movendo fieri potest, aut potionibus calidis, excitantibus et irritantibus.

c) Ungues coerulei a frigore febrili. Hic non est locus causam proximam febrium exponendi, sed demonstrare mihi liceat proximas frigoris sequelas in febribus. Ut in frigore ex causis externis, ita in frigore febrili vasa tenuissima, aut, si vis, vasa capillaria contrahuntur, quo fit, ut cutis contrahatur, mutatio et secretio substantiarum non absolvatur, difficultas respirandi oriatur, carbogenium sanguinis praevaleat et venae repleantur. Quae cum ita sint, quid aliud fieri potest, quam ut partes retibus venosis exstructae, livido colore tingantur, immo, ut facies et unguis, qui, ante vasis penitus tranata praediti, ipsi pellucidi, impeditam sanguinis decarbonisationem primum in medium proferre debeant, colorem in coeruleum et lividum mutant? At quem hoc signum, fugerit? Sed non solum in febrili frigore, lividum invenies colorem, sed etiam

d) Ungues coeruleos aut lividos a morbis chronicis, in quibus carbogenium sanguinis predominat, propter oxygenationem sanguinis non rite procedentem, partim propter impedimenta expansionem pulmonibus necessariam, partim propter refluxum sanguinis ad cor imminutum aut interruptum indeque exorientem venarum sanguinis abundantiam. Itaque in paroxysmis tussis convulsivae fortioribus

vulgo livescunt. In peripneumonia, in pulmonum vomicis, in angina polyposa (Croup) eorum lividitas observatur, nec non in ascitide, si jam ab exsudatis humoribus diaphragma vehementer comprimatur et hac ratione extensioni pulmonum obstaculum non facile superandum adducatur; porro in asphyxia, hydrope pericardii pectorisque, in asthmate, suffocatione, angina pectoris, apoplexia. Sunt etiam quae-dam venena in primis narcotica, ut opium, belladonna, nux vomica, faba St. Ignatii etc., quae atoniam paralyticam pulmonum gignere possunt, ex qua tantum impedimentum respirandi oritur, ut sanguis justo minori copia oxygenium recipiat. Atque in aliis morbis, ubi sanguinis oxydatio in pulmonibus rite procedit, si ab alia quacunque in organismo haerente causa copia sanguinis venosi praevaleat, color lividus saepenumero nascitur, ut in morbo maculoso Werlhofii, in scorbutica affectione, in cyanosi sive morbo coeruleo (1) etc. Praeterea memoratu dignus

(1) Confer. A. G. Richter die specielle Therapie herausgegeben von Dr. G. A. Richter 11 Bände 8. 5r. Band pag. 155.

C. F. Haase dissert. inaugur. de morbo coeruleo c. tab. aen. Lipsiae 1813.

Kreysig über die Krankheiten des Herzens Th. I. p. 371. Th. II. Abth. II. pag. 788.

Miguel temporäre Blausucht in Horn's Archiv für med. Erfahrungen 1826. Heft 6.

Gölis febris coerulea in Hufel. Journ. der prakt. Heilk. April. 1825.

Franciscus Xaver. Kuczyk dissert. inaug. de Cyanosi. Berlin 1829.

est color, qni ex argento nitrico diutius sumto oritur, ubi non cutis solum, sed unguis etiam colorem coeruleum fuscum accipiunt.

### 3) Fissura unguium.

Continuitate unguium sublata, rimam unam aut plures per unam aut plures lineas agunt.

Saepissime fissuræ causae sunt; instrumenta acuta, quibus unguis aut in apice aut in continuatione scinditur, quod genus Pleenk fissuram unguium cruentam vocat et a fissura sicca, quae interdum sua sponte saepius autem ex causis specificis, ut veneno syphilitico aut corruptione totius organi cuticulae, ut in herpete, lepra, elephantiasi etc. oritur, secernit. Si causa externa malum effecit, ex vulnere ipso faciliter diagnosces et secundum gradum vulnerationis curabis. Matrice una cum ungue laesa et instrumento altius penetrante, ante omnia corpora aliena, ut assulae metallicaæ, vitreæ etc., quae fortasse vulneri adhaerent, tenaculo aut cultro removebis; tunc haemorrhagiam, quae semper est permagna, sistas, frigore, stipticis, ut aqua vulneraria Thedeni, aceto vini, solutione Aluminis, Kino etc., conglutinantibus ut gummi arabico, boleto igniario etc. etc. Effluxus sanguinis suppresso vulnus per primam intentionem reunias et fasciam partibus laesis aptam aut emplastrum adhaesiva imponas. Fissuram unguis nunquam reunies, sed natura ipsa curam perficiet, unguis enim perscissus sensim in apicem protrudetur et ita fissuram cultro aut forifice resecare poteris. Aequali modo curam naturæ medicatrici mandare poteris, si sua

sponte fissura exorta sit. Cachexia autem morbum provocante, remedia porrigas, quae ad cachexiam removendam afferunt, et malum per se evanescet.

#### 4) Scabrities unguium.

Ungues tanquam carie sicca, asperi, facile terendi et inaequales fiunt, quo sensim diminuuntur et volumen minus accipiunt. Causae sunt externae aut internae; ad externas pertinent labores nimii et laesiones radicis unguium, quibus matrix ad anomalias secretiones impellitur; ad internas diversae cachexiae et exanthemata chronica. Cura in causis externis poscit quietem et otium digitii affecti, quem emplastro adhaesivo aut alio circumdes et digitum totum manica nnius digitii munias.

#### 5) Pterygium unguium.

Cuticula, quae corium induit, quocum plicam efficit, ut radix unguis in situ firmetur, semper dimidiad lineam aut amplius corio prominet, sed saepius occurrit, ut magis et longius prorogetur et unguis dimidius tegatur, quod nominare mihi liceat pterygium unguium spurium; si aliae autem partes ita prominent, ut unguis pars involvatur, pterygium unguium verum nominare possimus, quod priori saepius occurrit et excrescentiis fungosis, carne luxuriante etc. oritur.

Therapia a) pterygii spuri. Cuticula ab ungue instrumento aliquo obtuso repellitur et ab ungue solvitur, quo facto, attenuatur et malum tollitur; sin autem longior sit, quam ut findatur, melius

agitabis, si cuticulam cultro acuto et cacuminato incisione semicirculari removeas, sed caveto, ne corium laedas, quod facile cognoscere potes ex colore magis rubente et loco magis sublato, itaque incisionem ita facias, ut semper pilum latum a corio distet.

b) Pterygii veri. In excrescentias fungosas lapidem infernalem, Mercurium praecipitatum rubrum etc. applicare, aut eas cultro removere potes, in carnem luxuriantem notissimis remedii, ut pulvere saccari cum alumine usto, Mercurio praecipitato rubro etc. utaris.

#### 6. Dislocatio unguium.

Locus consuetus, quem in phalangibus unguis occupant, mutatus est, neque solum in phalange secunda aut prima animadversi sunt, sed in trunco etiam extremitatum. Causae malum gignentes aut vitiis primae formationis, aut morbis et perditis singulis phalangibus acquiruntur. Ad vitia congenita pertinent ii casus, quos nobis Bartholinus tradidit, ubi ungnis digitii indicis puellae cujusdam in interiori parte digitii situs erat, et unguis viri cujusdam, qui digitis carebat, truncō affixi (1). Ad acquisita pertinent ii casus in quibus, phalange una aut altera digitorum amissa, in fine phalangis remanentis nucus oritur unguis, aut cuticula crassitudinem unguis accipit.

#### 7. Vitia diversa primae formationis unguium.

Huc pertinent casus nonnulli jam sub disloca-

---

(1) Bartholini hist. anat. Cent. II. Hist. XXXIV. T. I. p. 240. seq.

tione nominati, porro, si major aut minor digitorum numerus congenitus sit, major aut minor numerus unguium, deinde concretio unguium, si dīgi ti ipsi conglomerantur, sed in perfectissima unguium concretione haud facile sulcum desiderabis, quin locum disjunctionis indicet. Quod ad therapiam attinet dīgi tī concreti operationē disjungendi et ungues in sulco perscindendi sunt, numerus major digitorum ad normalem redigendus est etc.

#### 8. Arctura unguium.

Unguis, directione naturali mutata, in carnem innascitur, quod non tam in aiori ejus latitudine adiuncta, quam sursum pressis partibus carnosis efficitur et praecipue in margine hallucis externo, ad secundum digitum spectante ocurrat et saepissime a calceis angustissimis unguibusque brevissime abscissionis oritur. Pressione perpetua, quam partes adjacentes perferre coactae sunt, inflammantur et propter irritationem sempiternam in suppurationem transeunt, at pus non verum, sed magis saniem ex eadem causa secernunt. Suppurationē per aliquod tempus perseverante, modo excrescentiae fungosae, e fundo aegroto exortae, apparent, unguemque tegunt, quod pterygium verum nominavimus et, si diutius perduraret, irritatio non tollatur, excrescentiaeque non removeantur, suppuratio semper pejorem foetorem exhalat et sanies magis magisque corrodit partes, in carcinoma aut transit, aut inflammatio ad os propagatur, cariemque et necrosin efficit. Et unguis ipse non segnis est et consors fit perniciei obsidentis et aut magis accrescit et malum semper adauget aut in

loco ulceroso mollier fit, formamque magnitudinemque mutat. Quo fit, ut aegrotus maximis doloribus vexetur et consistere nequeat.

**Therapia.** Pede affecto per dimidiam horam aquae tepidae immerso, ut unguis aliquantulum emolliatur, instrumentoque satis idoneo lamella unguis superiore abrasa, quae tenuissima fiat, unguis caute specillo subposito attollitur et altero specillo parva carpiae copia unguento rosato, saturnino etc. oblita, subjicitur, abhinc emplastro adhaesivo firmatur. Doloribus autem non remittentibus die sequente vinculum et carpia renovetur. **Cheilius** (1) secundum Desault et Richerand bracteolum plumbicum sub unguis margine poni et emplastro adhaesivo firmari jubet, quo enim facto, unguis sursum tollitur et partes carnosae deprimuntur. Unguem hac curatione directionem naturalem adeptum ne supra modum absindas et in lateribus rotundes, sed in latitudinem solam eum decurtes. Attamen in minoribus mali gradibus haec curatio sufficiet; si excrescentiae autem fungosae iam unguem circumdant, et aegrotus tactum ferre non possit, ante omnia otium et quietem recommendes, in loco affecto carpiam rasam, pulvere aluminis usti, minii aut Mercurii precipitati rubri (2) conspersam, ponas et, duobus praeterlapsis

(1) Maximil. Jos. Cheilius Handbuch der Chirurgie etc. 2 Bände. III. Auflage. Heidelberg. u. Leipzig 1823. 1. Bd. I. Abth. p. 121.

(2) Tourner (Maladies de la peau Part. 2. Cap. V. p. 5) praecipitatum rubrum hoc in malo omnibus praefert remediiis.

diebus, jam excrescentias forfice aut cultro removere poteris, aegroto doloribus in hac operatione non affecto. Quo facto, priori methodo facilius uti poteris, aut, si unguis nimis profunde subconditus sit et excrescentiae fungosae maximum volumen nactae sint, a methodo enarrata desistas, nam aut minime tibi proderit, aut ne maximis quidem doloribus perficere poteris. Inflammatione hallucis fomentationibus emollientibus et quiete imminuta, alterum forficis rectae ramum acutissimum celerrime ab apice usque ad basin unguis medianam infigas, unguemque in duas partes perscindas. Deinde partem affectam tenaculo vel forcipe prehensam inflectas, solutisque adhaesionibus, extrahas aut, si et externus et internus margo malo laboret, primum alterum, tunc alterum extrahas. Excrescentiae fungosae, quae adhuc remanent aut cauterio potentiali ut lapide infernali, praecipitato rubro etc. coercentur, aut cauterio actuali destruntur, quo facto, cutis sub ungue posita exsiccabitur et ulcus post 24 — 48 horas sanabit. Quod ad unguem restituendum spectat, regeneratio nonnunquam apud juvenes, fere nunquam apud senes animadvertisit. In partibus ungue nudis mixtionem hanc Baldinger(1) applicare vult:

R<sup>2</sup> Vin. alb. libras duas

Aerugin.

Alumin.

Mell. comm.  $\frac{1}{2}$  unciam dimidiām.

Ebulliant c. aq. servid. q. v. D. S.

---

(1) Neues Magazin für Aerzte. 3. B. 1. St. p. 26.

Carpia solutione madefacta parti affectae applicanda.

et Plenk

℞ Aq. vuln. Thed. uncias tres,  
Extr. saturn.

Ammon. muriat.  $\frac{aa}{\widehat{a}}$  drachmam dimidiam,

Cort. Chin. pulveris. unciam,  
Aq. font. uncias octo.

M. D. S. ut supra.

**Lafaye** (1) hac curationis methodo utitur. Ungle in media parte tenuissimo reddito, medium partem, formam litterae V gerentem, excidit, tunc per utrumque marginem filum metallicum transducit idque torquet, quo facto margines medii, incisione orti, appropinquantur et margines unguis increti sursum tolluntur.

#### 9. Panaritium subungue (2).

**Panaritium** (Panaris, Πανυχία, Παρανυχία) inflammatione et suppuratione matricis incipit et dolor inde exortus permagnus est in fine digitii neque remittit. Dolor, si extremitates inferiores corripit, quominus aegrotus ingrediatur, impedit, et saepius per menses plures prolongatur, antequam rubor et

(1) de Lafaye Principes de la chirurgie 6. Edit. Rouen. An. III. 8. Nouv. Edit. par P. Mouton. Paris 1811. 8.

(2) Vogt Diss. de paronychia Viteb. 1803.

J. Sue. Practische Bemerkungen über den Nutzen des Schnitts u. der Aetzmittel z. Heilung des Fingergeschwürs. In Schreger's u. Harles Annal. B. I. St. 3.

umor apparent. Posthaec ulcere exorto, partes circumdantes intumescunt et sanies inter unguis radiem et matricem orta, effluit, pus depravatum et foedum secernitur. Unus ipse colorem suum naturalem in fuscum aut nigrum mutat, breviorque et angustior factus, extabescit, nonnunquam evanescit, interdum autem latet sub carne fungosa aut sponte solvitur. Unus, nisi delapsus sit, in massam deformem mutatur et excrescentiae fungosae, quae non solum in lateribus sicuti in praecedente morbo, sed in unguis etiam matrice et radice apparent, facilime unguinem mittunt: quod malum Wardrop (1), speciem propriam panaritii censens Onychiam malignam appellat.

Causae hujus mali sunt aut locales, mechanicae aut chemicae, aut universales, dyscrasia herpetica praecipueque syphilitica, quo in casu hoc maxime plures digitos pedis et manus corripit, aut cum rvis ulceribus, inter digitos pedis et manus ortis, cipit, quae in unguem propagantur.

Therapia secundum causam et irritationis gradum variat. Interne medicamina, ad dyscrasiam revendam apta, porrigenda, et topice secundum irritationis gradum hirudinibus, fomentationibus emollientibus, balneis, aliisque remediis utaris.

A. Cooper (2) Calomelanos et opii puri <sup>aa</sup> gra-

---

(1) Wardrop. An account of some diseases of the hands and fingers with observations on their treatment. medico-chirurg. Transactions, Vol. V. p. 136.

(2) A. Cooper in London medical and physical journal April 1827, p. 189.

num unum matutino et vespertino tempore nec non decoctum sarsaparillae porrigendum et in locis affectis carpiam, soluto calomelane in aqua calcis humectam et serico oleo imbuto tectam, imponenda esse, censem.

Quae curatio, si nihil profuerit, tunc secundum A. Cooper et Dupuytren (1) unguis cum matrix removendus est. Quam operationem Dupuytren sic perficiendam esse docet.

Pede fixo et digito morbo affecto, cum sinistra manu comprehenso, ope acutae bistouriae profunda et semicircularem incisionem, tres lineas a cutis unguem circumdantis margine remotam, ac aequo distine cum margine procurrentem, perficias. Post minister digitum pedis teneat et lobulis a tergo vella sursum sublatis, unguis matrix removeat. Operatione peracta, pedis digitus linteo fenestratus et cera oblio involvitur, et plumaceolum tenue compressaque imponatur. Quo facto aegrotus in lectu collocetur et pes semiflexus pulvinari infigatur.

Nonnullis horis post hanc dolorificam quidam sed breve tempus solum durantem operationem, lores imminuuntur et tertio aut quarto die, vincis soluto, vulnus pure normali tectum adspicitur, quoniam fascia simplici tegatur. Aegrotus, quatuor cim aut duodeviginti diebus praeterlapsis, saepissim pedibus iam uti potest.

---

(1) Royer-Collard dans la *répertoire générale d'anatomie et de physiologie - pathologique et de Clinique chirurgicale* T. II. part. première, Paris 1826. p. 108.

Cicatrix, quae oritur, laevis crassaque, sed ungue caret, at nonnunquam consistentia cornea gaudet.

Si autem non solum partes molles, sed etiam os morbo destructum est, tunc nihil restat, quam digitus amputatio.

## B. Morbi symptomatici unguium.

### I) Tinea unguium.

Pustula et ulcere in radice aut matrice unguis exortis, unguis ipse a pernicie corripitur, emollitur, corroditur, evanescit et sanies tenuis, liquida et foetida secernitur. Causae sunt panaritium subungue et elephantiasis, lepra, lues venerea, trichoma etc. In syphilitide, affectionibus localibus plus minusve manifestatis, ideoque lue universali exorta, saepius sub ungue primum macula, colore cuprino oritur, cuius ambitus sensim sensimque major redditus et in maculae circuitu unguis a subjacente matrice solvitur, et tali modo aut delabitur, et radice incolumi, regeneratur, semper tamen deformis, monstrosus; aut macula cuprina madere incipit et in ulcus syphiliticum mutatur (1). In herpete pustulae a digitis ad radicem unguis repunt, eam in ulcus mutant et lapsum unguium efficiunt. Simili modo in elephantiasi et similibus morbis cutaneis, in ulcerationem transgressis, primum radix, tunc matrix et unguis ipse a degene-

(1) Richter V. Band pag. 187.

C. W. Hufeland's System der pract. Heilkunde Bd. II. Abth. II. p. 379.

ratione vitiosa corripitur. De Therapia nihil dicendum puto, quia malum semper est symptomaticum et curae intentionem ad morbum primarium dirigere debemus, ut in syphilitide, antisyphilitica; in elephantiasi, pellegra etc. purificantia, alternantia etc.

## 2) Ungues trichomatici.

Ungues saepius loco pilorum a metamorphosii trichomatis sive plicae polonicae corripiuntur. Si stadium prodromorum malo antecurrat, hoc tempore jam unguis deformantur, nigrescunt, exasperantur, et cariem siccam pati videntur. In stadio evolutionis morbi saepius cum doloribus integumentorum capitis pungentibus et continuis iidem in unguibus sentiuntur (1). Hostis adhuc in latebris occultus prorumpit, corripitque aut crines solos aut unguis solos, aut binos. Symptomata, quae in unguibus se manifestant haec sunt: radix et lunula plurium unguium, nam rarissime tantummodo unus solus a statu morboso corripitur, in superficie externa matre alba, pingui, plures lineas crassa, obtegitur, et locus affectus pinguedine candelae sebaceae oblitus videtur; qui inductus saepius celerrime vel una nocte oritur et deletus, paucis horis praeterlapsis, iterum renovatur. Nonnullis diebus praeterlapsis, radix unguium vel manus vel pedis modice inflammatur et

---

1) Confer. Richter. VI. Band. p. 390.

J. Alibert description des maladies de la peau. Paris 1806, übers. von C. F. Müller. Tübingen 1806.

F. G. Chromy von Ruhmfeld, neueste Ansicht des Weichsel-Zopfes in seiner Grundursache. Freiburg 1813.

ungues rubrum, fuscum aut lividum colorem accipiunt, doloresque provocant, si tanguntur, intumescent et aspera, inaequali superficie praediti, in massam unguis aut cornibus haud dissimilem degenerant, quae ex pluribus alia super alia jacentibus lamellis constat. Partes ab ungue dissectae modo et prioribus deformiores iterum crescunt. Qua unguium metamorphosi diutius et per plures annos ipsos perseverante, unguis delabuntur et iterum regenerantur, sed priori pulchra forma non gaudent et asperi, inaequales deformesque fiunt. In regionibus, ubi trichoma est malum endemicum, non homines soli malo laborant, sed etiam domesticae belluae, ferae ipsae, ut lupi et vulpes, quorum ungulae, cornua, pili etc. simili modo, quam unguis, crinesque hominum mutantur. Quod ad therapiam pertinet memorare mihi iceat, diaphoretica, resolventia, diuretica et episapatica hoc in malo maximi momenti esse et Vincam per vincam maxime laudari.

### 3) Gryphosis.

**Ungues longiores** ad volam manus aut plantam edis curvantur, quo in statu crassiores simul et alio modo deformes fiunt. Causae Gryphoseos variae sunt, sed prae ceteris observamus Gryphosin e munitione aut abscissione unguium neglecta. De curvatura unguium in plica polonica supra sermo erat et nihil iudicium restat, quam morbos nominare, in quibus vegetatione anomala Gryphosis unguium invenitur, quibus in casibus maximam longitudinem accipiunt

usque ad duos (1) et quatuor et semis (2) pollicis. Status morbosus, qui praecipue Gryphosin provocat, emaciationes sunt. In Phthisi pulmonali, laryngea, renali etc.; in atrophia infantium, in tabe dorsuali et omnibus cachexiis, quae hec tamen jam progenuerunt, plus minusve Gryphosin invenies et oriatur necesse est, nam per maciem, quae ex morbis nominatis profertur, partes molles unguem circumdantes sensim evanescunt, sola cutis ossa tegere videtur, quare unguis vasis uberioribus satis superque nutritus, directionem rectam, ad phalangem se applicans incurvam mutat et ut semper fit, imbecillitate aut mala cura aegrotorum magis magisque crescunt curvanturque.

Cura facillima est, unguis aut forfice aut cultro removeatur, aut si perdurus sit, percidas eum auxilio serrae; praeterea, si e neglecta munditie ortus sit, hominem affectum balneis aut frigidis aut calidis recommendatis, munditieque maxima observata, defendas, ne iterum in malum incidat. Si emaciatio causa mali proxima sit, nihil impedire poterit, quo minus unguis eodem modo reseces, etiamsi morbus primarius hoc modo non tollatur.

#### 4) Deformitas unguium.

Ungues vario modo deformantur proroganturque quo unguibus avium cornibus minoribus etc. simi

(1) Van der Linden philosoph. transact. N. 297.

(2) Bartholini anatome. p. 57.

les fiunt (1). Causae variant pro munditie neglecta, ortu novorum unguium matrice laesa, exanthematibns chronicis variis et omnibus, quorum in Gryphosi jam mentio facta est. Cura locali nihil aliud, quam resectio partis unguis inferioris perfici potest, et in statu morboso universal remedia contra dyscrasiam agitantia praebeas.

### 5) Lapsus unguium.

**Decessus unius aut plurium unguium a matrice.** Causae sunt externae aut internae; ad externas pertinet lapsus unguium, qui quassationes, compressiones, immersionem manuum aut pedum in aquam fervidam etc. sequitur, ad internas tinea unguis, ulcera in matrice aut unguis radice, miasma trichomaticum, syphilis, herpes, venena sumta etc.

**Therapia.** Partes ab ungue nuda, ne ictibus percussionibus etc. irritentur aut laedantur cavendae sunt, nam attactus lenissimus jam maximos provocat dolores. Laminam e cera alba in formam clypei formatam artui ultimo digiti affecti adaptatam, phalangi imponas, emplastro adhaesivo digito affigas et digitum in manica digitata ferri jubeas. Qua curatione non contentus in matricem, quam ante fascia imposita sit, pulverem mastigis, olibani etc. inspergere potes. Initio tali modo curationis facto jam cura est absoluta, nam natura ipsa, inflammatione aut aliis path-

---

(1) Pienk hominis mentionem facit, qui adhuc juvenis inter januam digitum annularem compresserat et unguem amiserat, quo facto unguis novus rotundus, in apice acutus ortus est.

matibus coëxistentibus sublatis, unguem restituet, sed saepissime deformatur, praesertim, si matrix nuda saepius irritetur, aut si causa specifica interna malum provocaverit.

Opera nonnulla, quae mihi non praesto, in dissertatione igitur adhuc non memorata sunt, haec:

Ludwig dissertatio de ortu et structura unguium. Lipsiae 1748.

B. S. Albinus de ungue humano ejusque reticulo itemque de cutis loco etc. Annot. academ. Vol. II. §. XIV. de natura unguium XV.

Rose de unguibus humanis. Leipzig 1773.

Werner dissert. de unguibus humanis varioque modo, quo possunt corrumpi. Lps. 1773.

Haase de nutritione unguinum. Lips. 1774.

Blech dissert. de mutationibus unguium morbos. Berlin 1816.

---

## VITAE CURRICULUM.

---

Ego, Salomo Ephraimsohn, veteris testamenti fidei addictus, anno MDCCCVIII Kallisiis oppido Neomarchiae, patre optimo Gabriele, matre dilectissima Joanna de gente Liebreich natus sum.

Priming litterarum elementis domi Stargardiae, civitate Pomeraniae imbutus, Gymnasiūm, quod in patria urbe sub auspiciis Ill. Falbe floret, petii et per octo annos me studiis, quae litteris academicis viam sternunt, de-

didi, ducibus Rectore Dr. Falbe, Professore Prielipp, Dr. Helmke et Dr. Wilde, quibus viris Illustrissimis ob eximiam erga me benevolentiam summas quam possum gratias ago. Anno MDCCCXXIX testimonio optimae notae oblato Berolinum profectus et ab Ill. Klenze t. t. Rectore Magnifico numero civium academicorum almae universitatis Friderici Guilelmi adscriptus, scholam medicam coram Ill. Bartels t. t. Decano maxime spectabili professus sum. Ab eo inde tempore virorum Illustrissimorum et Experientissimorum hisce interfui präelectionibus.

Ill. Hermbstaedt de physice generali, de chemia experimentali et pharmaceutica. Ill. Mitterscherlich et Ill. Schubart de chemia experimentali, Ill. Link de botanice, historia naturali et Toxicologia. — Beat. Hayne de botanice. Ill. Schultz de zoologia. Beat. Hegel de logice. Ill. Boeckh de Taciti historiis. Beat. Rudolfphi de encyclopaedia et methodology medica,

anatomia universali et organorum sensuum, de physiologia et de anatomia comparata, Beat. Knappe de osteologia, splanchnologia et syndesmologia, Ill. F. Hufeland de pathologia generali et semiotice, Ill. Eck de Therapia universalis, Ill. Osann de materia medica, Ill. Hecker de pathologia speciali, Ill. Horn de therapia speciali nec non de morbis syphiliticis, Ill. Casper de morbis infantum, de arte formulas medicas concinnandi, de medicina forensi et cholera morbo. Ill. Kluge de doctrina de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia et fascias imponendi arte. Ill. Busch de arte obstetricia et Ill. Jüngken de chirurgia. Artem cadavera rite dissecandi beati Knappe et Rudolphi medocuerunt.

Ad praxin medicam, chirurgicam, ophthalmiatricam et obstetriciam exercendam Perill. Hufeland, Ill. Osann, Cel. Busse, Ill. Wolff, Ill. Kluge, Ill. Bartels, Ill. de Graefe, Cel.

Barez, Ill. Busch, Ill. Jüngken et Ill. Rust  
me docuerunt.

Tentaminibus tam philosophico quam me-  
dico nec non examine rigoroso coram gratiosa  
medicorum facultate rite absolutis, spero fore  
ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in  
utraque medicina honores in me conferantur.

## THESES DEFENDENDAE.

---

- I. *Ungues et tota tela cornea albumini quidem similes, sed propria animalis materies sunt.*
  - II. *Ungues nihil aliud, quam cuticula indurata sunt.*
  - III. *Ungues ex foliolis et laminis constructos esse puto.*
  - IV. *Vomitus non semper ventriculi est actus.*
  - V. *Phthiseos pulmonalis caussa proxima per sunt tubercula.*
  - VI. *In morbis nil nisi symptomata curantur.*
  - VII. *Jodinium interne sumptum remedium est valde anceps.*
-

